

exinde processu temporis habeatis ad condigni favoris gratiam obligatos. Alioquin sententiam, quam idem tulerit in rebelles &c. *usque* observari. Datum Lugduni III. Nonas Novembris Anno Quarto.

338.

1246 d. 3 Nov.

Lyon.

Påfv. INNOCENTIUS IV:s Fullmakt för Biskopen WILHELM af Sabina, den Apostoliske Stolens Fullmyndige Legat, att sammankalla så väl Prelaterne, som visse af Adeln, och i deras närvaro kröna Konungen af Norrige.

F. 1: 198. An. 4. Ep. 947.

Innocentius &c. Venerabili Fratri . . Episcopo Sabinensi. Apostolice Sedis Legato Salutem &c.

Arduis et magnis negotiis &c. *ut supra in precedenti usque* salutaris. Hanc enim Nos. Frater Venerabilis de te considerationem habentes qui es unum de dignioribus membrum Ecclesie scientia conspicuum, et virtute, te in Norveiam, et Suetiam concessio tibi plene Legationis officio duximus destinandum, dantes Fraternitati tue de Fratrum nostrorum consilio potestatem, ut ascitis Prelatis Provinciarum huiusmodi, et convocatis eorum Nobilibus, quos videris oportunos, eisque consultis Carissimo in Christo filio nostro . . . Illustri Regi Norveie vice nostra Corone Regie largiaris honorem. Tu autem commissam tibi sollicitudinem sic prudenter, et laudabiliter secundum gratiam attributam tibi desuper prosequaris, quod Dei gloria, et ipsius Ecclesie ac Regis eiusdem decus inde proveniat, et prefatis Provinciis accrescat auctore Domino status gratia salutaris. Dat. ut supra.

339.

1246 d. 4 Nov.

Göthala.

Konung ERIC ERICSSONS Gåfvobref på Spannahults gård till Nunnorna i Gudhems kloster.

A. 3. å. 1: 1. *)

ERICUS dei gracia rex swethie. Vniuersis christi fidelibus presens scriptum uisuris uel audituris. in perpetuum. Qui iustis hominum desiderijs facili tenemur assensu concurrere. tanto facilius debemus admittere pia negocia ihesu christi, quanto deus noscitur hominibus preferendus. Proinde tam presentes quam eciam posteros scire uolumus. quod sanctimonialibus de guthem tantam terram cum omnibus attinenciis. in longitudine & latitudine ex parte aquilonari adjacentem predijs earum que dicuntur spanaholth. quantam terram constat eas a monte usque ad stagnum wetur in longitu-

*) Afskrifter af samma bref finnas A. 3. å. 1: 2. af K. WALDEMAR, odaterad; och å. 1: 12 af K. MAGNUS d. 3 Febr. 1298.

dine. & in latitudine tamen iuxta dictum stagnum. quantum est jnter pontes riuulorum. actenus libere possedissee. presentibus venerabili domino Laurencio skarensi episcopo & dilecto nobis domino Birgero genero nostro. & domino petro Nefh. & aliis quam plurimis testibus ydoneis. contulimus. quieto jure jn perpetuum absque calumpnia possidendam. Et hoc litterarum nostrarum & sigilli nostri munimine roboramus. Quicumque autem hanc nostram dationem quacumque occasione infirmare. uel eciam dictas dominas super hac molestare presumpserit. jndignacionem seueritatis regie. & insuper omnipotentis dei cui inferre conatur jniuriam. se merito nouerit incurrisse. Datum gøtalie pridie Nonarum nouembris. Anno domini. M°.CC°.XLVI°. Anno uero regni nōstri. XXIII°.

Sigillet till det mesta bortfallet; några små stycken deraf finnas på tvinnade hvita linnetrådar.

340.

1247.

Linköping.

Bisk. LARS Is i Linköping Gåfvobref å Tionden af Hägerstads Socken till understöd för en af Kanikerne i Linköping.

B. 3: 137.

Uniuersis christifidelibus tam posteris quam modernis presentes litteras jnspecturis. L. dei gratia episcopus lincopensis salutem in eo qui salus est fidelium & redemptor Vbi fidelis & deuota collegiatorum viget plenitas jbidem monasteriorum negocia expediuntur facilius dum singuli ad singula properant peragenda, & eorundem vocali concordia resonante in horum debitis diuinis officiis persoluendis fidelium ascultans deuocio excitatur & caritas preualescit, Quamobrem dominus benedictus lincopensis episcopus bone memorie numerum canonicorum lyncopie augere cupiens, dominum karolum jbidem canonicum jstituit et eidem certos redditus assignauit, quos tenues et exiles meliorare proposuerat. sed preuentus morte pie mentis propositum non compleuit igitur cum sit pium & canonicè consonum racionj modisque deceat omnibus successorem extremam suj antecessoris voluntatem affectuj debito mancipare ne dignitatis vilescat auctoritas, vbi sumptus dignitati conuenirens non habundat, nos decimam de hæghrastadh que hactenus ad episcopum pertinuerat, memoratis redditibus adiungimus ammodo jn perpetuum possidendam Ne autem malignancium jnsidie hanc collacionem nostram valeant aliquatinus jrritare, presentes litteras sigilli nostri munimine dignum duximus roborandas. quo mediante quod per nos actum est in posterum plenam obtineat firmitatem Huius facti testes sunt dominus magnus osgocie legifer. dominus jngemundus lincopie prepositus. & eiusdem ciuitatis canonici magister mathias & dominus johannes Datum lyncopie anno dominice incarnationis M°.CC°.XLVII.